

**Disputatio medica inauguralis de dysenteria ... / Eruditorum examini
subjicit Jacobus Scott.**

Contributors

Scott, James, active 1804.
Baird, George Husband, 1761-1840.

Publication/Creation

Edinburgi : Excudebant Adamus Neill et socii, 1804.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/jfpng78y>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

46581/5

BW7

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

DYSENTERIA.

DISPUTATIO MEDICA

DE ACUTIS

DYSENTERIA

DE

ACUTIS ACUTIS ACUTIS

ACUTIS ACUTIS ACUTIS

D. GEORGIUS BARR D. S. T. I.

ACUTIS ACUTIS ACUTIS

ACUTIS ACUTIS

ACUTIS ACUTIS

ACUTIS ACUTIS

ACUTIS ACUTIS ACUTIS

ACUTIS ACUTIS ACUTIS

ACUTIS ACUTIS ACUTIS

DYSENTERIA

ACUTIS ACUTIS ACUTIS

ACUTIS ACUTIS ACUTIS

EDINBURGH

ACUTIS ACUTIS ACUTIS

ACUTIS ACUTIS

ACUTIS ACUTIS

Vol - 125

WISCONSIN MEDICAL

INSTITUTION

DYSENTERIA

BY

JOHN H. HARRIS, M.D.

OF THE UNIVERSITY OF WISCONSIN

D. GEORGE HARRIS, M.D.

OF THE UNIVERSITY OF WISCONSIN

PHILADELPHIA: J.B. LIPPINCOTT & CO., 1882.

NEW YORK: J.B. LIPPINCOTT & CO., 1882.

LONDON: J.B. LIPPINCOTT & CO., 1882.

CHICAGO: J.B. LIPPINCOTT & CO., 1882.

WISCONSIN MEDICAL

INSTITUTION

THE UNIVERSITY OF WISCONSIN

DYSENTERIA

BY JOHN H. HARRIS, M.D.

OF THE UNIVERSITY OF WISCONSIN

PHILADELPHIA: J.B. LIPPINCOTT & CO., 1882.

EDINBURGH

JOHN H. HARRIS, M.D.

OF THE UNIVERSITY OF WISCONSIN

1882

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
DYSENTERIA;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu, et
Nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JACOBUS SCOTT,

SCOTO-BRITANNUS.

Τοῖσι σπλῶδιαι δυσεντερίᾳ ἐπιγρομένη, ἀγαθόν.—

ἹΠΠΟΚ. ΑΦ. μῆ. τμ. ἕκτον.

Ἐπὶ διαρροίᾳ δυσεντερίᾳ.—ΑΦ. οἷ. τμήμα ἑβδομον.

Ἐπὶ δυσεντερίᾳ λειντερίᾳ (ἐπιγίνεται).—ΑΦ. ος'. τμήμα ἑβδομον.

Prid. Id. Septembris, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT ADAMUS NEILL ET SOCIJ.

1804.

DISPUTATIO MEDICA

IN AURICULIS

DE

DYSENTERIA

HENRICO

AVGVSTO MEDICO

AVGVSTO MEDICO

D. GEORGI RATHD. S. P. T.

AVGVSTO MEDICO

AVGVSTO

AVGVSTO MEDICO

AVGVSTO MEDICO

AVGVSTO MEDICO

AVGVSTO MEDICO

AVGVSTO MEDICO

AVGVSTO MEDICO

AVGVSTO MEDICO

AVGVSTO MEDICO

AVGVSTO MEDICO



AVGVSTO MEDICO

AVGVSTO MEDICO

AVGVSTO

AVGVSTO MEDICO

PRÆHONORABILI ET NOBILI

HENRICO,

VICECOMITI MELVILLE,

BARONO DUNIRÆ;

CURIÆ THALASSIARCHIÆ

PRÆFECTORUM DUCI;

REGISQUE BRITANNIARUM

A CONSILIIS SECRETIORIBUS, &c.

NON MAGIS INGENII ACUMINE,

QUAM BENEVOLENTIA MORUMQUE COMITATE,

CLARO;

TENTAMEN HOC MEDICUM,

SUMMÆ OBSERVANTIÆ

TESTIMONIUM,

DICAT CONSECRATQUE

AUCTOR.

Digitized by the Internet Archive
in 2018 with funding from
Wellcome Library

NEC NON

VIRO

FORTI ATQUE STRENUO,

B. S. ROWLEY,

ARMIGERO ;

CLASSIS REGIÆ VEXILLO RUBRO INSIGNITÆ

PRÆFECTO SECUNDO ;

NEC NON

REGIS NAVIUM IN MEDUACO VERSANTIUM, &c.

PRÆFECTO PRIMARIO ;

HANC DISSERTATIONEM, ANIMI,

PROPTER VIRTUTES EJUS PLURIMAS,

AMICO SUO SPECTATISSIMO,

PLURIMUM DEVINCTI

INDICIUM,

OFFERT

AUCTOR.

NEW YORK

1870

THE NEW YORK PUBLIC LIBRARY

A. S. ROWLEY

ANNIVERSARY

CLASSED BY THE NEW YORK PUBLIC LIBRARY

PERFECTED SECOND

NEW YORK

THE NEW YORK PUBLIC LIBRARY

PERFECTED SECOND

HAND DISSEMINATION, ANIMAL

PROPER VIRTUES AND BEHAVIOR

AMONG THE ANTIQUARIANS

THE NEW YORK PUBLIC LIBRARY

INDICATED

OFFICE

A. S. ROWLEY

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

DYSENTERIA.

PROOEMIUM.

INTER morbos qui corpus humanum tentant, illi quibus intestina obnoxia existunt, attentionem Medici summam, optimo jure, sibi vindicant. Consensu etenim inter canalem intestinalem, partesque corporis reliquas, ope nervorum, ritè perpenso, affectus tubi illius morbosos, corpus omninò perturbaturos, mirum nobis videre non debet.

A


Quinetiam,

Quinetiam, vasa permulta sanguinem ventientia, in tunicas intestinorum catervatim distributa, et munerum suorum magnitudinem sanè arguunt, et morbis obnoxiora, proculdubio, ea reddunt.

Siquidem intestinorum compaginem, materiamque diversi generis acrem, superficiei eorum assiduè applicatam, in animo ritè habeamus, immunitas morborum qua sæpiùs gaudent, miranda sanè venit. Superficies veruntamen eorum tenera, hisce rebus acribus objecta, ne inermes quidem existit; mucus operare sanè et paratè secretus, ab injuriis quibus proclivia necessariè evadunt, facilè cavet; mucusque superficiei ita obductus, pro viribus materiæ acris stimulantibus, quoad quantitatem augeatur, ni fallor, oportet.

Quin et intestina, ob consensum inter corporis superficiem externam, eaque, insignem, perspiratione insensibili, aut imminuta, aut omninò suppressa, malè se facilè habent; actioque morbosa singularis, a contagione
originem

originem ducens, supervenit; actio autem hæcce, nomine Dysenteriae gaudet.




DEFINITIO MORBI.

“ PYREXIA contagiosa; dejectiones frequentes, mucosæ vel sanguinolentæ, retentis plerumque fæcibus alvinis: tormina; tenesmus.”

Quod ad definitionem illust. CULLENI, nosologorum omnium facilè principis, hancce quidem attinet. Dysenteriam, frigus corporis extremitatibus inferioribus potissimum applicatum, pro causa excitante habentem, viribus scilicet contagiosis nullis adhibitis, mihi ante oculos sæpiùs versatam fuisse, observandum ritè venit. Quinetiam, morbus noster, a frigore solummodo oriens, conditionibus corporis quibusdam, contagiosus evadat, nemo est qui dubitat. GREGORIO veruntamen Professore, insigni iudice, species dysenteriae diversæ

diversæ grassari possint ; morbusque expers
pyrexiaë impetum facit * ; ac in illius senten-
tiam manibus pedibusque decessurus sum.



HISTORIA MORBI.

DYSENTERIA modo diverso, in habitu cor-
poris diverso, adoritur. Alvi compressio, cum
ventris inflatione conjuncta, affectionem vis-
cerum propriam, aliquando prægreditur ;
symptomata autem hæcce,—compressio, vide-
licet, inflatioque, duobus tribusve diebus, ante
torminum tenesmique impetum, pyrexia
etiam nulla comitante, invadunt ; aliquando
autem, morbus rigoribus symptomatisque py-
rexiaë aliis aggreditur ; hisce autem, tormina
viscerum propensioque ad alvum dejiciendam
frequens, brevè, succedunt ; proclivitatique
huicce

* Prælect. de Med. Pract.

huicce cedens, ægritudinis levationem laborans neutiquam sentit; dejectiones parvæ existunt, tenesmusque plus plusque ingravescit.

Quibusdam in casibus, symptomata hæc, in pejus pejusque citius ruunt; proclivitas ad intestina evacuanda frequentior; tenesmus torminaque violentiora evadunt; anorexia supervenit; nausea, vomitus, inflatio ructusque fatum ægri acerbius reddunt. Torminibus tenesmoque sævientibus, pyrexia symptomata ægro plerumque increscunt: sitisque potissimum accenditur.

Sub initium morbi, febris typo synochæ interdum sese induit: citius attamen, malignior evadit, formamque typhi putridi præ se fert. Febre laborantem longius arctiusque tenente, morbus lethalis evadit: ægerque e medio tollitur.

Symptomata febris, sæpius brevè discedunt: dum tormina, tenesmus, &c. per aliquot mensium, pertinaciter perstant. Excreta quoad colorem, multum variant; aliquando muco-

sa solummodo evadunt: sæpiùs autem, sanguine commista, vel speciem striarum exhibent: vel sanguine abundantiora, colore rubro omninò gaudent.

Torminibus acutissimis præcedentibus, dejectiones sanguinis meracas, fæcibus scilicet nullis admistis, iterum iterumque animadverti. Dysenteria laborantium dejectiones, ad has similitudines interdum accedunt. Fimbriæ membranaceæ cum materia liquida sæpiùs admiscentur: moleculæque sebaceæ, speciem casei præ se ferentes, haud rarò per anum excernuntur.

Dejectiones e sanie fusca, pessimèque foetente, constantes, ni fallor, magis pertimescendæ sunt: quippe, quæ mortem ægro citissimè afferant.

Cum dejectionibus multicoloribus, de quibus sermonem supra habuimus, fæces naturales, aut nunquam, aut rariùs immiscentur; sin autem, materia fæculenta dejiciatur, forma scybalarum sese induit. His verò evacuatis,


cuatis, tenesmus torminaque aliquid levaminis plerumque subeunt.

Febre graviter urgente, morbus citiùs dicto animam ægro extinguit. Tormina doloresque abdominis ægerrimè ferendi, talibus in casibus, febrem comitantur; enteritidem sanè arguunt, gangrænamque intestinorum, celeriter gignunt.

Verùm enimvero, pyrexia vel omninò decedente, vel symptomatis lenioribus solummodo stipata, morbus chronicus quasi evadit: ac per aliquot menses sæpiùs durat; tuncque febris signaque dysenteriae alia, ægrum ferè convalescentem, denuò affligunt, brevique jugulant. Morbo diutiùs perstante, diarrhœa frequentissimè supervenit. Aliquando etiam, tormina tenesmusque gradatim remittunt, dejectionesque sanæ evadunt.

Morbos perpaucos compertos habeo, in quibus vires vitæ, citiùs ac in dysenteria, omninò prosternuntur. Dysenteria laborantes, impetu morbi primo, tam fractos tamque debilitatos, iterum iterumque observavi, ut situm corporis erectum,

erectum, vix, ac ne vix quidem, sustinere potuissent. Viribus, hoc modo, omninò convulsis, dolores dorsi lumborumque pungentissimi, ægrum inurunt: Alvus inter acerrimos doloris morsus descendit: ægerque reverà sentit, ac si viscera ejus e loco exciderent*.



PHÆNOMENA QUÆ CADAVERIBUS, DYSENTERIA LABORANTIUM, SECTIS, IN CONSPECTUM PRODEUNT.


CADAVERIBUS dysenteria mortuorum incisis, intestina, variis in casibus, variè affecta, conspiciere liceat. Aliquando, canalis omnis, per convolutiones diversas, inflammatione corripitur: maculæ gangrænosæ, ulceraque spatia lata occupantia, anatomico ante oculos subinde versantur.

Colon

* Aud. prælect. GREG. de Med. Pract.

Colon semper pessime se habet; quippe quod potissimum morbo implicitum, inflammationem præcedentem sequelasque ejus, luculentiùs arguat. Ad gangrænam ulceraque ejus, accedit, etiam, ut cavum angustius, tuni-
cæque crassiores, evadant; rectum adeò coangustatum fuisse, ut transitum fistulæ magnitudine calami anserini, solummodo gaudenti, ægriùs præbuerit, insuper observandum est.

Historia mihi in mentem venit, in qua, colo insigniter coarctato, intestina parva, mirum in modum dilata fuere. Quin et tunicæ coli diversis in locis, sæpiùs roduntur, modo quo cavitas intestini in abdomen iterum iterumque aperit.



DIAGNOSIS.

SYMPTOMATIS dysenteriae pathognomonicis, tenesmo nimirum torminibusque, morbus noster a diarrhœa facilè dignoscitur. Quod ad

B

choleram

cholera quidem attinet, vomitum biliosum, dysenteria laborantes interdum tentare, non inficias ibo; spasmata autem surarum, absunt: tenesmum speciemque dejectionum, in morbo de quo agitur, pro signis pathognomonicis habere, et lubet et juvat.

In colica, alvus adstringitur: tenesmus aut rarò aut nunquam occurrit. Hisce ritè perpensis, dysenteria et colica distinguendæ jurè venient.



CAUSÆ.

CAUSÆ morbum continentes nunc invenienda sunt; at de causa proxima, ne hac vice quidem disputandum est.

CAUSÆ

CAUSÆ REMOTÆ.

CAUSA dysenteriae remota præcipua, contagio propria existit ; cujus et natura et operandi modus, aciem mentis humanæ omninò fugit. Dysenteriam a putredine quodammodo pendere, ni fallor, colligere liceat ; propterea quòd, tempestatibus anni locisque quibus putredo maximè dominatur, morbus potissimum viget : febribusque intermittentibus ac putridis, haud rarò se comitem præbet.

Verùm enimvero, morbum nostrum in corpus priùs calefactum, subitoque refrigeratum, impetum sæpiùs facere, apud omnes constat ; ideoque ad eam gignendam, perspiratio insensibilis repressa, me judice, plurimum valet *. Et irritabilitatem et sensibilitatem corporis calor facilè auget †. Rebusque ita se habentibus,

* Vid. ZIMMERMAN. *Traité de la Dysent.* pag. 39. &c.

† Dr HOME, *Prælect. De Calore.*

tibus, corpus causarum externarum actione, mutationes insignes subire, ut credam facile adducor. In eam opinionem, effectus frigoris humorisque adducere lubet: viresque fluida in intestina vehementius derivandi, et frigori et humori inesse, hoc, ob exempla permulta, mihi persuasissimum est.

GREGORIO nostro, viro jure magni nominis, judice, et causam et originem mali, ad liquores frigidos, corpore calefacto haustos, sæpiùs persequi liceat. De historia cholerae, ubi viribus morbi omninò fractis, dysenteria ægrum propediem incessit, idem Professor sagacissimus, discipulos suos certiores fecit; hunc autem casum, bili morbosæ in intestinis retentæ, vitio vertere lubet*.

Dysenteria frigus, pro causa excitante sola habente, homines constitutionibus debilitatis scorbuticisque tentatos, sub aëre frigidior de-
gentes, cœlo scilicet calido relicto, malèque vestitos, sæpiùs laborasse, usu compertum habeo.

* Aud. Prælect. GREG. De Med. Pract.


beo. Mutatio cœli hujusmodi, habitu robusto gaudentes, morbis inflammatoriis plerumque rumpit; contra autem, corpora fracta debilitataque, et dysenteria et diarrhœa corripiuntur.

Dysenteria a frigore diutiùs pedibus applicato originem ducens, mihi ob oculos iterum iterumque versata fuit; diarrhœaque ab eadem causa pendens, cursu morbi, typum dysenteriae, haud rarò induit.

Necessitatem a frigore pedibus applicato cavendi, corpore utique humi prono, homines rudes incultique, benè perspexisse videntur; extremitatibusque inter dormiendum ritè fotis, et sub pleno Jove, et sæpiùs situ humido, sese græmiis somni impunè committunt, dum itinera longa conficiunt*. Homines autem, habitum corporis, fractos debilesque, rebus ita sese habentibus, dysenteriae obnoxios fore, ne anceps quidem hæreo. Si mens me rectè monet, effluvia putrida in corpus prædispositum,

* Vid. Dr STAN. SMITH, *On the variety of Complexion, &c. of the Human Species*, p. 194.

tum, vel solummodo vel propensiùs invadunt*.



RATIO SYMPTOMATUM.

SEQUITUR pars hujusce tentaminis, in qua, de ratione signorum nobis inquirendum est. Frigore humoreque corpori applicato, priùs vel multum calefacto, vel relaxato, perspiratio insensibilis facilè reprimitur; causâ vitium hocce præstandi, systema viribus jurè enitetur. In morbo nostro, *αυτοκράτεια* hæcce, intestina potissimum petit: motumque horum viscerum peristalticum auget; contractiones autem spasmodicæ, huc et illuc invadentes, et motum vermicularem impediunt, et tormina facilè excitant. Hisce in locis, et fibræ tunicæ musculosæ intestinorum circulares, et fibræ ejusdem tunicæ longitudinales, ni fallor, inter se repugnant; nisusque inde orti, partes superiores

* Vid. J. PRINGLE, Equit. p. 232.

periores stimulando, motui peristaltico facilè resistant.

Dolores pungentes, a muco abraso, ni fallor, pendent ; propterea quòd, canalis, superficie ejus interna, hac theca naturali denudata, et sensu acutiore præditus evadit : et in motum, irritatione minima, corripitur.

Vestigia sanguinis puri dejecti, ad unum alterumve vas, altius lacerata, consequamur, plerumque oportet : fontem autem striarum minorum, in recto, tenesmo lacerato, petere liceat. Irritationem usque ad collum vesicæ extendentem, dysuria pro causa occasionali facilè agnoscit.

Stadiis morbi provectioribus, ulcera intestinorum pus aliquando effundunt : rarissimè autem, in morbo nostro, pus meracum per anum dejicitur.

Fimbriæ membranacæ, e tunicis intestinorum abrasis, sanè consistunt. Materia sebacea, speciem casei exhibens, pro muco coagulato, habenda, ni fallor, venit ; secretionemque morbosam in recto, plus minusve inflammatione

tione correpto, excretionibus nimirum pravis, a partibus canalis superioribus, huc propulsis, pro causa tenesmi excitante, agnoscere lubet.

Partes gangræna laborantes, saniem fuscam, maleque foetentem, proculdubio, effundunt.

Quod ad vomitum quidem attinet, vel ab iisdem causis, ac motus intestinorum abnormis, vel a consensu partium : perturbatione, videlicet, intestinorum, vomitiones concitante, pendere potest. In hoc statu rerum, vomitui obviam eundum est ; propterea quòd, ob motum duodeni inversum, bilis violenter ejicitur ; emeticaque, conditione rerum hacce, adhibita, ni fallor, et intestina superiora constringunt, et ægrum in angustias inferunt.

Scybala, ad contractiones spasmodicas, fæces in portiones diversas separantes, mihi referre lubet : hæ autem massulæ, ob motum intestinorum auctum, forsân in orbem flectuntur. Scybalis vero retentis, partes irritabilitate morbosa priùs laborantes, plus plusque stimulantur. Hoc, levamentum miseriarum, quod his evacuatis sequitur, facilè docet.

Mutationes

Mutationes morbosæ quas contenta intestinorum subeunt, inflationem spiritumque inclusum sibi, me iudice, ritè vendicant. Quin et, quoad tumorem abdominis, symptomataque tympanitidis, erosio intestinorum in vituperationem reverà incidit.

Emaciationem corporis subitam, in defecationem nutrimenti, a munere lacteorum impedito, pendentem, conferre licet; actiones autem, intestinorum, e quibus chylifera oriuntur, morbosæ, pro ratione hujusce impediementi, debita habendæ veniunt.

His de ratione symptomatum propositis; sequitur, ut in hoc morbo, proprias notas explicem, quæ, vel spem vel periculum ostendant.




PROGNOSIS.

Si æger nec morbis prioribus fractus, nec habitu corporis pravo oppressus; impetu morbi primò ad remedia debita confugerit, medica-

C

mentaque

mentaque astringentia, stimulantiaque sedulò evitaverit, de eo bene sperandum ; sin autem, medicus morbum sub initio, vel prætermiserit, vel perperam tractaverit, eo in angusto magis spes est ; symptomataque sequentia, pyrexia scilicet, tenesmo torminibusque violentis stipata. Dejectiones materiæ liquidæ, fuscæ, nigraeque, malè foetentes ; magna virium prostratio ; petechiæ, dolor subitò cessans ; pulsus debilis et intermittens, singultusque ; omnia pessima habenda sunt, ægroque mortem sanè denunciant. Cognitis indiciis quæ vel nos spe consolentur, vel metu terreant, ad curationem morbi nostri transeundum est.



RATIO MEDENDI.

IN methodo medendi tradenda, actionem intestinorum inordinatam, sive frigore sive contagione illatam, secretionem pravam moventem, pro dysenteria idiopathica ritèque constituta

constituta habere, et lubet et sanè juvat. Quin et, cogitationem de intestinis plùs minùsve inflammatione tentatis suscipere, hocque fundamento, indicationes curatorias statuere, laboranti, me iudice, non alienum foret.

Indicationes curandi tres enumerandæ veniunt.

Imò, Actioni intestinorum abnormi obviam eamus, proculdubiò, oportet.

Causa indicationis hujusce absolvendæ, motum horum viscerum peristalticum reficere, medico experto operi erit. Voti summam de hoc consecutus.

2dò, Indicationem secundam præstare, secretionem nimirum pravam evacuare, ei in manu erit.

3tiò, In indicatione tertia perficienda, à debilitate, proclivitateque ad putredinem, jure cavendum est.

Imò,

Imò, CAUSA actioni intestinorum inordinatæ obviam eundi, in conditionibus corporis plethoricis, morboque frigore applicato, ritè orto, ad phlebotomiam pro violentia symptomatum confugiendum est. Detractio veruntamen sanguinis cautissimè usurpanda est: propterea quòd, morbus vires noxias citò ostendit; tuncque, venæsectio aut nunquam, aut rarissimè, me judice, indicatur.

Vena ritè pertusa, causa motum intestinorum peristalticum restaurandi, contentaque eorum prava evacuandi, et emetica et cathartica in usum vocare liceat. Verum enimvero, in dysenteria idiopathica, plenæ vomitiones vel rariùs necessariæ existunt, vel cautè adhibendæ, me judice, sunt: idcirco, quia violentia nisûs, aut proclivitatem intestinorum ad contractionem spasmodicam, aut etiam inflammationem facilè promovent.

Siquando, ventriculo laborante, emeticum reverà indicatum sit, partitis vicibus, me judice, adhiberi debet; medicusque voti compos potissimum erit, si remedium in ventriculo

triculo aliquamdiu retineatur, tandemque effectum debitum edat.

Tartritum antimonii, emeticis aliis omnibus, in morbo nostro curando, ne invitè quidem, antepono; medicamentumque hocce eximium, ritè gnaveque exhibitum, munera et emetici et cathartici, et etiam diaphoretici, leniter præstat.

Remedium de quo agitur, ritè administratum, vice propria, certiùs certò fungitur; ideóque, in casibus haud paucis, ad munera et cathartorum et diaphoreticorum supplenda sanè valet.

Siquidem alvus tarda, dysenteriae impetum prægressa fuerit, emetica, ni fallor, contraindicata existunt; tartrisque antimonii, aqua solutus, dosibus scilicet ʒii . omne semihora adhibitus repetitusque, donec alvus ritè descenderit, medici expectationem aut rarissimè aut nunquàm fallit.

Cathartica vomitu frequentiùs rejiciuntur; solutio autem, ritè administratâ, pylorum faciliè transibit, opeque diluentium, effectum sortietur.

Tartrite

Tartrite antimonii, causa et ventriculū et intestina exonerandi sumpto, catharticum postridie manē plerumque adhibebam; purgantibusque violentioribus, meo quidem animo, contraindicatis, dum intestina inflammatione, plūs minūsvē laborarent, ad sulphates*, sodæ, magnesiæque confugiebam; horumque salium alterutrius ℥i. in ℥viiij. aquæ solutam, partitis vicibus, omni semihora, in usum vocabam.

Sulphas magnesiæ leniūs ac sulphas sodæ alvum ducit, plūsque ad tenesmum torminaque mitiganda, ni fallor, valet.

Causâ superficiēi relaxandæ, bolus, pulveris ipecacuanhæ gr. ij., tartritis antimonii gr. fs.; conservæ rosæ q. s. confectus, vespere sumendus, commodē venit: utique, si æger diluens, aliquod tepidum per noctem liberē bibendo, consilio medici ritē faveat.

Catharticum postridie mane, repetatur, oportet; crastinaque nocte pilulam ex ipecacuanhæ

* Vide J. PRINGLE Eq. p. 246.

Dr GREGORY, prælect. de Med. Pract.

cuanhæ gr. ij. opii gr. fs. hora somni adhibere liceat. Postea, grana ipecacuanhæ duodecim, quatuor decemve, singulis diebus, forma pilularum granorum scilicet duorum, adhibitis, in hoc statu rerum, haud parvo commodo ægro erint; propterea quòd, et superficiem ritè relaxabunt, et alvum leniter solutum tenebunt.

E re ægri, non alienum foret, si granum opii* unum, cum granis ipecacuanhæ duobus sumeret. Torminibus tenesmoque autem decedentibus, e quantitate pilularum ipecacuanhæ, medicus ritè detrahat.

Verùm enimvero, symptomatis, vi majore, ob incuriam vel medici vel ægri, sub initium morbi urgentibus, oleum ricini cum mucilagine

* Opium solidum adhibitum, mihi in dysenteria semper arriserit: propterea quòd, me haud pœnituit horum sententiæ esse, qui opium forma pilularum cum pulveribus ipecacuanhæ glycyrrhizæ, mucilagineque gum. mim. Niloticæ, pylorum transitorium intestinaque petiturum esse: ægro utique in latus dextrum per aliquod temporis decumbente, sibimet persuasum habent.

gine gummi mimosæ Niloticæ commistum, catharticis omnibus aliis posthabitis, iterum iterumque adhibendum venit. Remedium hocce præstantissimum, pro ægris enteritide, etiam, torminibus acutioribus tentatis, plurimum fecisse, expertus nullus dubito*.

In morbo nostro curando, ad usum enematum, summo cum commodo confugiendum est: ni quidam medici fallantur. Idcirca, quia et intestina facilè eluunt, et superficiem eorum internam substantiis mucilaginosi oleosisque oblinunt.

An liquidum mite, liberè injectum, causa vel stricture imminentes prævertendi, vel eas jam jam inductas tollendi, in dolore dysenterico prodesset?

Hisce de medicamentis internis, causa indicationes duas priores absolvendi, usurpandis propositis: restat, ut de remediis externis, haud parvi momenti, pauca disgeramus. Inter hæc,

* Prælect. Botan. Dr HOPE de Palma Christi.

hæc, pediluvium, balneum tepidum, fomenta abdominis, epispasticaque enumerare liceat.

Balneum tepidum commodè adhibitum, vice applicationum aliarum humidarum, ni fallor, facilè fungetur; quippe, quod superficiem externam penitus detergeat; abdomineque postea, lanula nitida involuto, ægro sæpiùs optimè succurritur.

Ægri balneo loti, abdomen cylindro laneo lato, utilissimè circumcingitur; cylindroque hocce ab initio morbi, laborans, haud parvo commodo utetur. Et regionem abdominalem, nisu violento inter alvum dejiciendam, oppressam, sustentat; et superficiei abdominis, relaxationem illam infert, quæ ad irritationem intestinorum morbosam tollendam, optimè valet.

In morbo nostro, præ omnibus ferè aliis, debilitas cittissimè ægrum opprimit: ideoque,

Causa indicationem *tertiam* absolvendi, vires vitæ laborantis, alimentis teneris mucilaginosisque sustineat, medicus oportet.

D

Inter

Inter hæc, cycas circinalis, tapioca panis cum prunis coctus, oryza cum uvis passis, ribetibusve enumeranda veniunt. Hisce quantitatem vini debitam addas. GREGORIOQUE* nostro teste, vegetabilia cocta recentioraque liberè sumpta, ægrum ad sanitatem citiùs reducent.

Inter hæc, spinacea, brassica florida, pastinacæque sativæ, recensendæ veniunt. Poma mitia summo cum commodo in usum vocare liceat.

Cl. TISSOTIUS, undecim in eadem familia dysenteria laborantes, se conspexisse, nos certiores facit. Horum novem fructus maturos copiosè sumserant, “ et furent bien guéris †.” Matronæ verò cuidam, salutem vilis emptam in contemptu habenti, sententia stetit, vel arti medicinali animam debere, vel secundum

* Aud. Prælect. GREG. de Med. Pract.

† Vide ZIMMERMAN de la Dysent. p. 133. &c.

dum scientiam, fatum obire ; i eoque, et sibi ipsi, et ateri, mortem facile conscivit. Medicamentis aliis incassum adhibitis, dysenteria laborantibus, usu fructûs, uvarum potissimum, sæpiùs succurritur*.

Situs corporis pronus, pro ægro alvum reddituro, multum sanè faciet ; propterea quòd, et nisum violentum tenesmumque mitigabit, et a syncope reverà cavebit. Posituram hancce ad debilitatem præcavendam utique valere, inter omnes, ni fallor, constat.

In stadiis morbi omnibus, *mundities ventilatioque*, curam et ægri et medici summam, jure optimo, sibimet vindicant. Fæces protinùs removendæ sunt ; cubiculaque arcta, ægrisque conferta, penitùs fumiget medicus, oportet†.

Æger

* Vide ZIMMERMAN, de la Dysent. p. 111.

† Vide Dr CARMICHAEL SMYTH's Method of Fumigation.

Æger et lodicem et indusium ritè mutet ; hisque ad ignem penitùs exsiccatis, utatur. Siquidem, curationem debitam, gradu primo morbi, ægro medicus ritè adhibeat, plerisque in casibus, ab exitu rerum infelice ancipiteque cavere, penes eum sanè foret : sin autem, vel curantis negligentia, vel usu purgantium violentiorum, æger debilitate summa opprimeretur, dejectiones ichore plenæ se paulatim ostendunt : Dolor cessat : Pulsus debilis intermittensque evadit. In hoc statu rerum, ad vinum meracum, cinchonam officinalem, enemata antiseptica, decoctis scilicet cinchonæ officinalis plenis, vinoque confecta, ritè citóque confugiendum est. Lateres calidos plantis pedum ægri, medicus applicet. Hisque remediis ritè adhibitis, voti compos, interdum erit.

Intestinis et abrais et debilitatis, ægritudines a morbo convalescentibus sæpiùs rursus accidunt ; ideóque, ad regimen, viribus etiamsi morbi omninò fractis, ratio, et diligenter et diuturnius, habenda est.

Convalescentes

Convalescentes a morbo, cibo tenero nutrienteque, modicè sumpto, sustineantur. Intemperantia, vel potus vel cibi, aut ægrum dysenteria iterum implicabit, aut lienteriam movebit.

Corpus totum, extremitates inferiores potissimum, a frigore humoreque, muniendæ veniunt. Dysenteria recidiva, typum graviorem induens, a frigore humoreque* pedibus applicatis,

* Anno 1792, inter alios, classicarium militem quinquagenos duosque annos natum; pedes aliquamdiu prius madefactum, dysenteria iterum invaserat. Torminibus tenesmoque magnoperè ardebat; singulisque nisibus, sensit, ac si viscera sua excidissent. Arteriarum pulsus, exilissimi frequentissimique, vix, ac ne vix quidem, enumerandi venere. Miserque inter morsus doloris acerrimos, se fatum inter horam obiturum, sæpiùs affirmavit.

Quin intestina inflammatione laborassent, animus mihi nequaquam pependit: sanguinem veruntamen, ne detrahère quidem ausim. Fomenta abdominis ab angoribus, vacuitatem vel nullam vel minimam ægro intulere;

plicatis, ortum ducens, iterum et iterum, mihi ob oculos versabatur. Indusio laneo, dysenteria refectus, amiciatur.

Dysenteriam

intulere; indiciaque gangrænæ intestinorum instantis, mihi sub oculos versata fuere.

Spe undique abscissa, reque ad extremum perducta, cado, aqua temperaturæ debitæ pleno, ægrum, situ erecto, tribus hominibus, fultum, uno, nimirum utrumque humerum, et altero caput tenente, ad deliquium animi immersi. Balneo cautè submotus, corporeque ritè deterso, in lectum, capite paulo demisso, inclinat fuit: causâque eum e mortuis excitandi, ad rationes debitas omnes, ritè decursum est.

Spes, me iudice, tardissimè revisit; animi veruntamen anxietatem, in præsentia, sedulo suppressi; spem vultu simulavi; rationesque voti exequendi, neutiquam omisi. Adjutor verò meus expalluit, animo omninò defecit, obque desperationem, altè gemit.

Vires autem vitales, ad munera sua fungenda, novissimè stimulatae fuere; spatioque semihoræ, arteria radialis, ad carpum, quinquagesies singulis minutis saltavit. Pauxillum vini, aqua diluti, modiceque tepidi,

Dysenteriam a diarrhœa sæpiùs exoriri, ante oculos lectorum supra proposui; alvumque eodem morbo laborantes, sub exitu haud rarò exercere, huic loci observandum venit. Profluviei alvi huicce difficiliùs medetur: cautèque

tepidi, bibit; horisque duabis post, aliquantulum cicadis circinalis sumpsit.

. Dolores tunc temporis, omninò deficere; pulsusque ad sexaginta recensendi ordinatique evasere. Pilulam opii gr. ifs. et ipecacuanhæ gr. ij. hora post meridiem nona cepit. Decoctum, hordei distichi, saccharo gratum redditum, moderatèque tepidum, per noctem bibebat. Placidè, doloribusque immunis quievit. Postridieque manè, arteriæ sexagesies septiesque micuere.

Theam pro jentaculo, jusculumque hordeacum pro prandio, æger sumpsit; vesperique pīlula repetenda venit. Doloribus solutus pace iterùm dormivit; pulsusque numerum eandem expleverunt.

Rebus ad exitum huncce felicem perductis, ne animus me quidem impulit, causâ intestina eluendi, stimulantia ut adhiberem; tertiaque die, alvus et spontè et facilè descendit. Regimineque idoneo adhibito, ægrotus ex morbo hocce ancipite, prorsùs convaleuit.

tèque munus suum præstare, et corpus totum, et intestina potissimum, ad sanitatem pristinam reducere, viribus summis nitatur medicus, oportet.

Ratio diætæ utique habenda est. Quod ad roborandum corpus quidem attinet, medicus, exercitatione, balneoque frigido ritè adhibitis, voti compos frequentius fiet. Quin et, si desiderium tonum vigoremque intestinis impertiendi, eum ritè teneat, magnesiam, pulveresve, aut rhei palmati, aut amomi zinziberis, dosibus parvis præscriptos, in auxilium vocet.

Tinctura rhei palmati cum aqua menthæ piperitæ conjuncta, modicèque sumpta, ægro sæpius proderit*.

Pulvis cinchonæ officinalis cum carbonate magnesiæ commistus, a proposito medici haud alienus est.

Pilulæ

* R. Tinct. Rhei Palm. ʒ ij.

Aq. Menthæ Piperitæ ʒ i. M.

Sumat æger ter indies.

Pilulæ extracti cinchonæ officinalis, mihi experto, ægris utilissimè fore videntur ; quandoquidem, remediis aliis in usum frustra vocatis, ad diarrhœam profligandam, sanè valuerunt.

Hominem dysenteria chronica implicitum, cyatho aquæ frigidæ, omni horæ quadrante hausto, lacteque tepido, pro alimento perseverantiùs sumpto, prorsùs convaluisse, notatione dignum ni fallor, venit*.

Historia attamen, hæcce, ad diarrhœæ confines, si mens me ritè monet, reverà appropinquavit.

* Vide ZIMMERMAN, p. 368.

